

§. 18.

*Voluntati Dei competit Rectitudo maxima & Voluntas
immutabilis.* *Dei recta*

Actus nimirum voluntatis Dei semper, adeo-
que immutabiliter, sunt conformes regulæ ejusdem,
nempe summis suis perfectionibus (§. 16.). Er-
go maxima ipsi competit Rectitudo & immutabilis
(§. 17. 3.). *est immu-
tabiliter.*

Hanc Dei rectitudinem & alias Dei perfectiones Mo-
ses prædicat in cantico, Deut. 32. v. 4. *Rupis illius opus
perfectum, omnes enim via ejus (sunt) jus, fortis, fidelis
& expers iniquitatis, justus & rectus est.* Et alibi plu-
ribus in S. Sacra.

§. 19.

Deus est in se beatissimus.

Possidet enim omnes perfectiones in gradu ab-
solute summo (§. 3.), quas vi sui Intellectus perfe-
ctissimi cognoscit (§. 4. 5.). Ex intuitu vero perfe-
ctionum suarum infinitarum non potest non oriri in
Deo voluptas maxima (§. 511. Wolfii Psych. emp.).
Hæc vero propter Dei independentiam & immu-
tabilitatem (§. 2.) semper durat. Possidet itaque
Deus & fruitur summa & semper duratura volupta-
te, ex perfectionibus ejus orta (per demonstrata.).
Jam vero in possessione & fruitione perpetua sum-
mæ voluptatis consistit summa beatitudo. Ergo
Deus est in se beatissimus. Q. e. d. *Deus est in
se beatissi-
mus.*

§. 20.

*Finis, quem Deus in creatione hujus Universi
intendit, est manifestatio suæ gloriæ.* *Finis, in
creatione*

Deus enim est perfectissimus (§. 3. 10.), & in
hujus Unis
se